

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.
20.
21.
22.
23.
24.
25.
26.
27.
28.
29.
30.
31.
32.
33.
34.
35.
36.
37.
38.
39.
40.
41.
42.
43.
44.
45.
46.
47.
48.
49.
50.
51.
52.
53.
54.
55.
56.
57.
58.
59.
60.
61.
62.
63.
64.
65.
66.
67.
68.
69.
70.
71.
72.
73.
74.
75.
76.
77.
78.
79.
80.
81.
82.
83.
84.
85.
86.
87.
88.
89.
90.
91.
92.
93.
94.
95.
96.
97.
98.
99.
100.



8. Pri. 51. mim. 31.

L. N. D. N. 7. C.

DISQUISITIO JURIDICA,

De

VULGARI SUBSTITUTIONE,

Quam exercitii gratiâ

Assistente DIVINI NUMINIS Auxilio
Sub UMBONE

*Viri Excellentissimi, Celeberrimi, Consul-
tissimi Domini*

OTTONIS PHILIPPI
ZAUNSCHLIFFERI,

Jcti, Antecessoris, & Universitatis hujus Syndici, Præ-
ceptoris atque Patroni sui, omni observantiæ cultu ad ultimum
usque vitæ halitum, colendi,

In Jctorum Auditorio

Ad diem Augusti Anno 1704.

Amico Dominorum Commilitonum examini subjicit

JOH. HERMANNUS KÖHLER,
HASSUS MARBURGENSIS,
AUTHOR & RESPONDENS.

MARBYRGI CATTORVM

Typis JOHANNIS HENRICI STOCKIL,



1701

VERZEICHNIS
VON
VILGARDIEN
SÄTTIGUNG
DANIELS
OTTONIS
SALZBURGER
JOHANNES





PRÆFATIO.

Amice & Benevole Lector!



Uo sunt ad benè beatèque constituendam, fundandam & conservandam Rempubicam præcipuè necessaria, videlicet veræ ac orthodoxæ Religionis sincera & recta *Constitutio*, deinde legum bonarum *Auctoritas*, ac juris cuique sui & justitiæ æqua distributio. Proinde & Jurisprudencia, quæ justitiæ doctrinam & præcepta tradit, necessarium est Magistratibus & Gubernatoribus Reipub. moderandæ instrumentum. Hæc, jus suum cuique tribuit, Deo cultum, Magistratibus honorem & reverentiam, minoribus comitatem & benevolentiam, oppressis & afflictis tutelam, dubiis consilium, omnibus innocentiam; imò justitiam rectè sanctèque administrantes æternis afficiendi sunt præmiis, uti apud Prophetam Daniele legimus, quando dicit: Qui justitiam (præcipuè spiritualem, tum & secularem) rectè exercent, fulgebunt

quasi splendor firmamenti, & sicut stellæ in perpetuas æternitates. Omnes enim justè facientes laudem & protectionem merentur, tum ii maximè, qui divinarum humanarumque legum sunt periti, utpote quorum scientia universus illustratur orbis, & ad obediendum Deo & Magistratibus, subjectorum vita informatur, speciali dilectione ab omni injuria defendendi sunt. Et, ut cum Celebr. Struv. Ex. II. th. XIII. loquar, quia leges civiles etiam in conscientia obligant, adeoque si contra quis agat, Deum offendat, & pœnæ, quâ crimen divinitus vindicetur, obnoxius fiat: Ideoque tantò majori & curâ & favore, prudentia juris est digna, atq; ut tantò magis in studio isto juridico me exerceam, præsentem hanc conscripsi dissertationem, continentem nobilissimam illam vulgaris substitutionis materiam, quæ non solùm in praxi utilissima, sed etiam aliàs defunctorum interest, non sine heredibus è vita discedere, *l. 6. ff. de interrogat. in jure fac.* Tuum itaque erit, L. B. hæc mea studia, labores & conatus juveniles, non in malam partem interpretari, sed serena ac hilari fronte animoque placido suscipere. Ad rem ergò sine ulterioribus ambagibus accedo.

THES.

5
THES. I.

Substitutio Vulgaris est in locum cuiuscunque instituti hæredis deficientis suppositio. Er rectè quidem : cùm fiat etiam substitutio in legatis & donationibus mortis causa *l. so. de legat. & fideicom. 2.* Idèd autem vulgaris appellatur, quia vulgò & passim fieri potest, à quolibet & cuilibet. *Jason. de vulg. & pupill. substit.* & est facilis in ejus forma & conceptione, & nullam habet specialitatem, & fit per ista verba: *Si Titius hæres non erit Sempronius hæres esto. l. 1. de vulg. & pup. substit.* & talis substitutio dicitur simplex, licèt alia quælibet possit dici duplex, & sub se aliam continere per istam *l. 1. ff. eod.* & substituere vocatur alium in alterius locum surrogare, *l. 22. de legat. 1.* Hæc autem de ea quæ in hæreditate fit, tractaturi sumus.

THES. II.

Diximus *Suppositio*, scil. directa: Omnis autem substitutio aut directa est, aut fideicommissaria sive obliqua, cujus distributionis fundamentum ponunt *in leg. 5. C. de impub. substit.* & *in lege 6. C. de instit. & substit.* Directa est, per quam substitutus directò & sine ministerio alterius, hæreditatem testatoris immediatè sibi acquirit: ut quando dicitur, *Hæres esto*, si ille non vult, & c. fideicommissaria est, per quam substitutus hæreditatem ex manu alterius, & sic vià obliquà capit: ut cùm dicitur, *Hæres restituat hæreditatem Titio.* De hæc in præsentî dissertatione non acturi sumus, quæ propriam habet sedem *in instit. de fideicom. hæred. & toto tit. ff. & C. ad S. C. Trebell.* Directa igitur peculiaris hujus est loci: quæ principaliter subdividitur in vulgarem & pupillare. Qui tamen exactius rem eam prosequuntur, quinque faciunt species, nempe 1. vulgarem, 2. pupillarem, 3. exemplarem,

Def.

Def.

Def.

4. reciprocam sive breviloquam, & 5. militarem privilegia-
tam seu compendiosam. Verum, quando tres posteriores
species ad duas priores reducuntur, aut similitudine aut re-
solutione, tunc ab eis quasi vitam hauriunt. Add. *Servv.*
Ex. 33. th. 11. Rationem autem, quare substitutio directa
introducitur, hanc esse dicunt, quoniam sæpè contingere
potest, (nempe quando unicus saltem hæres in testamento
esset institutus, illo autem vel moriente, vel etiam hæredita-
tem repudiante) ut testamentum tunc exitum sortiri nequeat,
jura autem testamenti subveniunt, ut voluntates defuncto-
rum implementum capere possint, qui libentiùs testari de-
cedere cupiunt, ita moribus hoc & jure constitutum est, &
quidem hoc ex fundamento: quia defunctorum interest, ut
habeant successores per l. 6. ff. de interrogat. in jure fac. quod
autem ipsorum interest, videre possumus ex l. 11. §. 3. eod.

THES. III.

Dicitur autem in definitione (deficientis) quod verbum
comprehendit omnes substitutionum species, sive de-
ficiat hæres in institutione, quia noluerit adire hæredita-
tem, (nam ex voluntate ipsius constat num velit adire hæredita-
tem) vel non potest adire hæredita-tem propter ætatis vel
mentis defectum, aut aliquocunque modo *arg. l. 56. ff. solut.*
mat. prior casus ex voluntate: Non verò intelligitur vo-
luntas nuda, sed efficax, illius verò voluntas, qui non potest
esse hæres planè est nulla. *vid. Ant. Gomez. 1. var. resol. 3.*
n. 10. nam casus impotentia comprehendit casum involun-
tatis, *Servv. Ex. 33. th. 13.* Secundus autem ex impotentia
constare à Dd. dicitur. Et dicuntur substituti *secundi hæres*
in locum deficientis primi, etiamsi sint posteriores, eò quòd
in locum deficientis primi, instituti veniunt. *l. 1. ff. de vulg.*
& pupil. substit. Sicut omnes nuptia dicuntur *secundæ*, quæ
pri-

primas sequuntur: *uti ex rubrica iit. de secund. nupt. appa-*
rer. Dividitur porro substitutio in *expressam & tacitam.*
 Illa fit negativè & continet in se verba negativa expressa, ut
 quando dicitur, *Titius hæres esto,* & deinde ipsi deficienti per
 verba negativa substituo: *Si Titius hæres non erit, Sempro-*
nus esto. Hæc nempe tacita fit affirmativè: veluti cum
 duos instituo hæredes eosque invicem substituo. Vulgaris
 ergò fit (1.) verbis generalibus ut cum testator dicit? *Titium*
& Sempronium hæredes instituo, eosque invicem substituo, quæ
 vulgaris in reciproca seu breviloqua usurpatur, (2.) verbis
 specialibus: *veluti si Titius hæres non erit, Lucius hæres esto.*

THES. IV.

Nunc ad alteram vulgaris substitutionis speciem, taci-
 tam scil. Et hæc dupliciter existit, interdum enim ex
 verbis testatoris colligitur, non tamen ex propria significa-
 tione, sed ex mente & sensu tacito: ut si dicam: *Titius &*
Sempronius uter eorum vivet, hæres mihi esto. Jam si ambo
 in vivis manent, ambo hæreditatem consequuntur: sin verò
 unus inter homines esse desit, alter solus hæres erit ex tota
 hæreditate seu asse, quia subest tacita vulgaris substitutio. Alia
 autem vulgaris tacita dicitur, quæ nec ex verborum signifi-
 catione venit, nec ex sensu colligitur, sed ex potestate legis,
 etiam contra vim verborum præsumitur: cujusmodi est ea,
 quæ sub expressa pupillari tantum continetur: ut si testator
 filium suum impuberem hæredem instituat, & ei, si intra pu-
 bertatem decedat, substituat Mævium: nihilominus si ille
 filius non adeat hæreditatem, Mævius erit hæres ex substi-
 tutione vulgari, quæ per interpretationem legis, vel potiùs
 extensionem, in illa pupillari continetur *ex l. 4. ff. de vulg.*
& pupill. substit. Id genus substitutionis vulgaris præsumpta
 veriùs, quàm tacita appellanda videtur, ut *Polius & Cassius*
in

in tractat. de substit. censuere, nam vulgaris expressa continet tacitam pupillarem: & è contra l. 4. ff. de vulg. & pupill. substit. Servu. Ex. 33. th. 22. qui tamen seg. th. 29. S. Quod verò &c. monet, juxta communem Dd. opinionem & praxin id non obtinere in casu ubi impubes matrem relinquit, conf. Afflict. dec. 38. & 310. Id tamen notabile est, quod monet Hefer de bon. com. div. part. 2. l. 30. n. 36. matrem id quod ex substitutione accepit, per secundas nuptias æquè amittere ac si id immediatè à patre substituantè accepisset.

THES. V.

Vidimus generalia substitutionis, nunc autem progrediemur ad scopum ipsum, & primò occupari erimus circa illos, quinam substitui, ac substitui vulgariter possunt? item quibus substitui possit. Omnes itaque qui testamenti factionem habent activam, ita ut possint condere testamenta, possunt etiam vulgariter substituere, item substitui omnes, qui testamenti factionem passivam habent, & ipsi aliquid ex testamento acquirere possunt; Non solum autem liberi homines sed etiam servi substitui possunt, quoniam cum servis ex persona dominorum testamenti factio est. Restat ut consideremus quibus substitui potest: hæreditibus scilicet omnibus, cujuscunque conditionis aut ætatis existant: vulgariter substitui potest, tam suis, quàm etiam extraneis, sive servus, sive alienus est (de servo alieno nullum est dubium, quin rectè ei substituatur, quia hæres est extraneus, & voluntarius) sive proprius, in servo autem proprio dubitandi ratio moveri potest, quòd servus proprius hæres institutus est necessarius; at necessarius acquirere cogitur hæreditatem, hæreditate autem acquisita expirat substitutio, atque ita substitutio facta servo proprio nunquam fertur effectum. Hinc quidam in ea sunt opinione, servo pro-

proprio substitui non posse. Sed sententiam contrariam. Veriorem puto, quod nimirum servo etiam proprio substitui possit. Cum enim dominus sciret, institutum servum suum protinus hæredem fieri, eo ipso, quod ei substituit alium, necessitatem acquirendi hæreditatem ei remittere voluisse videtur, ut qui alioqui futurus erat necessarius, voluntate domini fiat voluntarius, *arg. l. 4. C. de impub. & al. substit.*
Servu. Ex. 33. th. 16.

THES. VI.

DEbet autem vulgaris substitutio, & quidem directa, de qua agimus, in testamentis non autem in codicillis fieri *princ. Instit. de vulg. substit.* Quoniam in Codicillis nemo hæres institui potest, ita nec cuiquam substitui, *l. 2. C. de Codicill.* Si tamen in Codicillis facta fuit directa substitutio, sustinetur in vim fideicommissi, & verba directa obliquantur, velati: *Titius hæres esto, & rogo te Titi, ut velis hæreditatem restituere Sempronio, l. 76. ad S. C. Trebell.* sub hac autem limitatione, modo certè concipi possit testatorem voluisse Codicillos, non autem testamenta facere *l. 8. C. de Codicill.* vide notabilia tradentem *Mevium part. 2. dec. 333.* quod ex institutione vel ex exhæredatione præsumitur, *ut Faber per legem 14. C. de testam. hic docet.* Quanquam autem directa in Codicillis facta fuit, reduci debet in fideicommissum, non tamen diutiùs durat, quàm durasset directa. Licet autem directus hæres restituat hæreditatem cum omnibus actionibus fideicommissario, ipse tamen adhuc hæres permanet, nam, qui semel hæres est, non potest desinere hæres esse, *l. 28. ff. de hered. instit.* scil. quoad directas actiones, quæ infixæ sunt ossibus ejus, ac proinde in alium transferri nequeunt, *lib. ff. de pecul.*

B THES,

Quæritur autem (1.) si testator dixerit: instituo Titium hæredem, & si noluerit esse hæres, restituat hæreditatem Sempronio, an sit substitutio vulgaris, vel fideicommissaria? & videtur quòd nulla valeat, quia talis dispositio continet repugnantiam, *arg. l. 188. de R. I.* quod probatur, nam ad sententiam, & validitatem vulgaris, oportet, quòd non sit hæres, & substitutus directè capiat sua propria autoritate, & non per viam, & modum restitutionis: ad essentiam verò & validitatem fideicommissariæ, per contrarium oportet, quòd sit hæres, & jura hæreditaria directè in eo resideant, & alteri restituat, & sic est aperta repugnantia. Secundò videtur, quòd sit fideicommissaria, quia, ubi verba obliqua restitutionis ponuntur, semper inducunt fideicommissariam substitutionem *arg. l. 19. ff. de testam. milit.* Nec obstat, quòd in nostro casu ponitur conditio, quòd non sit hæres, & substitutio fideicommissaria non habet locum in hæreditate *per tot. tit. ff. ad S. C. Trebell.* quia respondeo, quòd cogetur adire defacto, & restituere, *arg. in l. 4. ff. dist. tit. & per l. 14. S. 4. ejusd. tit.* Sed in hac subtili & notabili quæstione ego teneo contrarium: imò quòd sit vulgaris, quàm alia, *l. fin. C. de hæred. instit.* & isto nostro casu, verbum *restituat*, importabit restitutionem facti, non juris. *l. 12. ff. qui satis. cog.* & ipse testator confert immediatè hæreditatem in substitutum, ut in expresso: ita tenet *Bal. in l. 9. C. de impub. & al. substit.* Et facit huè quòd in substitutione vulgari, casus voluntatis expressus comprehendat tacitè casum impotentis, & vice versa, ex conjecturata substituentis voluntate, de quo plura *Siruv. Ex. 33. th. 13.* Sic in simili *Dd.* docent, quòd à Mevio substitutus Cajus in casum, *si hæres Sempronius contraveniat* testamento, etiã videatur vulgariter substitutus in casum, si Sempronius hæreditatem adire nolit
 vel

vel non possit, *Vid. Dn. Andleri Jurisprud. lib. 2. tit. 3. ab initio*
Conf. Dn. Marpurg. vol. 1. Conf. 8. ubi de casu notabili, an
substitutus in casum, Si filii nascituri sine filiis decedant, etiam
videatur vocatus, si nulli filii sperati nascuntur.

THES. VIII.

Quæritur & (2.) si testator dixerit: instituo Titium hæredem, & si hæres non fuerit, substituo ei Sempronium, an erit vulgaris? & videtur dicendum quod non, quia peccat in forma, cum per vulgarem succedatur testatori, & in bonis ejus uti in l. 1. de vulg. substit. cujus verba sunt, veluti: *Lucius Titius hæres esto, si mihi Lucius Titius hæres non erit, tunc Sempronius mihi hæres esto.* Secundò quia hoc casu videtur repugnantia, nam si institutus non fuerit hæres, non habet aliqua bona, in quibus substitutus ei efficiatur hæres, nec in bonis propriis potest substituere: ut in l. f. C. de hered. instit. Si verò institutus velit esse hæres, substitutus non potest admitti, quia deficit conditio substitutionis. Item quia directò post aditam hæreditatem non potuit substitui, ut in l. 5. C. de impub. & al. substit. Sed his non obstantibus, dico quòd sit vulgaris, valida & perfecta. Primò, quia ista videtur esse mens defuncti: nec ob stare debet, quòd dixit substituo ei, quia sensus est, ponere substitutum loco hæredis instituti, & confirmatur, quia substitutio directà, quæ non potest valere in sua forma jure directò, valet eo modo, & forma quâ valere potest, ut in l. 76. ff. ad S. C. Trebell. & in l. 31. ff. eod. Secundò & principaliter dico, quia dictio (mihi) non alterat virtutem, & effectum pupillaris substitutionis, ut in l. 8. S. 1. ff. de bon. poss. secund. tab. ita eodem modo dictio (ei) non debet tollere, vel alterare, virtutem, & effectum vulgaris substitutionis: & in expresso istam sententiam & conciliationem tenet *Alb. in rubrica hujus*

hujus rei. Hac occasione quæritur, Si in uno eodemque testamento quis sit substitutus vulgariter, & per fideicommissum, quæ substitutio valeat, vel an utraque sit nulla tanquam incomparabilis! & resolutivè dico, quòd utraque pro diversitate casuum valeat, & tener, & substitutus potest eligere, ex qua velit admitti, adveniente casu substitutionis. *rext. est singularis & unicus in l. 6. §. 5. ad S. C. Trebell.*

THES. IX.

Item juxta prædicta (3.) quæstionem instituo, si testator dedit hæredi substitutum vulgarem, & alium fideicommissarium, quis præferatur? *v. g. si testator dicat: Si Titius non fuerit hæres, sit hæres Sempronius, & Titium hæredem gravo hereditatem restituere Cajo, & fortè Titius vult repudiare, & concurrant substituti, & vulgaris dicat, debere se admitti: quia vult ipsum compellere adire, & restituere, quis eorum debeat admitti & præferri? in quo subtili & difficili articulo, vera & communis doctrina, & resolutio est, quod si hæres institutus decedat in vita testatoris, vel post mortem ejus ante aditam hereditatem, & compulsionem de adeundo, & eo casu, quo non potuit hereditas transmitti, tunc sine dubio admittitur & præferitur substitutus vulgaris. Si verò hæres institutus repudiet expressè, & fideicommissum non est repetitum à substituto vulgari: tunc etiam admittitur & præferitur substitutus vulgaris, *ita probat rext. in l. 55. §. fin. ad S. C. Trebell.* Si verò fideicommissum est repetitum à substituto vulgari, semper præferitur fideicommissarius *l. 63. §. 13. eod. tit.* Si verò hæres institutus adiit, excluditur substitutus vulgaris, & admittitur fideicommissarius, *l. 5. C. de impub. & aliis substit.**

THES.

Substitutus vulgariter non admittitur unâ cum instituto, Scùm substitutus sit hoc modo, si institutus hæres esse noluerit. Hoc loco excipitur casus, quo substitutus succedit unâ cum instituto in partem dimidiam. Ratio est, quia testator putavit institutum esse liberum, cùm tamen non esset liber, sed servus, eique hominem liberum substituit. Non est tamen putandum testatorem errasse, si enim hoc admittetur, testamentum nullum esset, quia testamentum est ultima testatoris voluntas; atqui voluntati nihil magis repugnat, quàm error. Dices at error hic subest. Fateor errorem subesse quidem in personæ qualitate, sed non item in persona ipsa, quæ certa erit testatori & nota. Nam ut personæ aliqua nota sit, verosimiliter tamen personæ illius qualitas ignota & occulta esse potest. Obstat autem *l. 40. de hered. instit.* Resp. ibi substitutus fuit cohæres, & tunc unum semissem habet jure institutionis, alter semis inter Dominum & substitutum est dividendus. Quod si filius-familias hæres institutus cui simul substitutus datus, & hæreditatem filius repudiavit, an pater filii an verò substitutus admittatur? ibi dicendum est patrem excludi, quia provisio testatoris expressa prævalet voluntati legis. Ita quoque sentit *Celeb. Struv. Ex. 33. th. 14.* qui tamen monet, communiter Dd. contrariam sententiam amplecti, simul & limitat, in casu si filiusfamilias intuitu patris est substitutus.

THES. XI.

Effectus autem substitutionis vulgaris & quidem directæ plures sunt: primò quòd si hæres primo gradu institutus hæres esse nolit, vel non possit, omnibus ab intestato aliàs venientibus hæredibus repulsis, substitutus succedat, excipiuntur tamen duo casus. Primus: si mater impuberis,

B 3

cui

cui pater substituit, existat: non enim pater videtur à lu-
 Auola hæreditate per tacitam pupillarem matrem exclu-
 sisse, cum tacita pupillaris, sicuti expressa contra matrem
 non admittatur *l. fin. C. de instit. & substit. vid. præc. th. 4.*
 Secundus: juxta Papinianum virum excelsi ingenii, cum
 pater filiis suis nulla liberorum mentione habita substituit:
 hoc enim casu substitutus non admittitur existentibus nepo-
 tibus vel neptibus, etiamsi formula substitutionis non fuerint
 comprehensi, quia tacite videtur subesse conditio, si sine li-
 beris decesserit *l. 6. §. cum autem d. t.* quod Imperialibus con-
 stitutionibus etiam ad filios naturales tantum extenditur,
 puta si pater filiis suis naturalibus extraneum substituerit, si
 naturales relinquunt liberos legitimos, repellitur substitutus
d. l. §. cum autem, confer. Afflict. dec. 386. Wissenb. ad ff. p. 1.
disp. 57. th. 1. Quid autem si nepotes vel neptes naturales tan-
 tum, an contineantur sub tacita illa conditione (si sine libe-
 ris) eamque deficere faciant? & dicendum quod non, nec
 obstat, quod appellatione filiorum veniant etiam naturales,
 hoc enim procedit, si testator expresserit illam conditionem
 si sine liberis, tunc enim magis enixa & propensa testatoris
 voluntas elucescit, quæ minus apparet, si interpretatio ex le-
 ge descenderet, & conditio hæc ex præsumpta testatoris
 voluntate per legis dispositionem tacite subintelligeretur.
 Extra hos casus primo gradu instituto non existente hærede,
 nec adeunte, juri substitutionis locus est, aditaque per substi-
 tutum hæreditate in ipsum actiones hæreditariæ transferuntur,
l. 3. C. de impub. & aliis substit. Quod non esset, si per
 hæredem primo gradu institutum hæreditas adiretur. Se-
 cundò quòd si hæres institutus non fuerit hæres: quia repu-
 diavit hæreditatem, vel non potuerit esse hæres: qui fortè
 hæres institutus est incapax, decessit in vita testatoris, vel eo
 mortuo non fuerit transmissa, vel hæres institutus est post-
 humus

humus, qui non nascatur: quia tunc admittitur substitutus, *l. 1. de vulg. & pupill. substit.* Atq; etiã vulgaris substitutio illum habet effectum, quando substitutus admittitur ad hæreditatem, si hæres institutus non erit, ut tantum consequatur ex substitutione, quantum aliã ex institutione, cum substitutio sit secundi hæredis institutio, hinc etiã quando testamentum potest assumere vires à substituto & sic à secundo gradu institutionis, licet in primo gradu institutionis non habeat vires *l. 3. §. fin. ff. de lib. & post. h.*

THES. XII.

Quando plures hæredes instituti sunt, & sibi invicem vulgariter substituti, adeuntibus deficientium hæredum & substitutorum portiones jure accrescendi, vel jure substitutionis accedunt *l. 6. C. de impub. & al. substit.* Et si hæredes ex disparibus partibus instituti & sibi invicem substituti sint, nec in substitutione facta est ullarum partium mentio, partes adjectæ in institutione repetitæ censentur in substitutione *l. 2. C. d. 2.* Dicitur hac in thesi de jure accrescendi, quæri autem commodè hic potest, an vulgaris substitutionis jus sit potentius jure accrescendi, & dico quod sic, *per l. 2. §. 8. ff. de bon. poss. sec. tab.* quia substitutio venit ex expressa voluntate, & dispositione defuncti: conjunctus verò, qui venit per jus accrescendi, dicitur venire ex tacita & conjecturata mente defuncti, & legis provisione & supplementatione, unde meritò præferatur substitutus *l. fin. C. de part. convenit. & l. 39. §. 1.* hoc autem suas habet limitationes, nempe quod etiam aliquando jus accrescendi potentius sit vulgari substitutioni, ita ut jus accrescendi præferatur, quæ tamen aliunde peti possunt.

THES.


Absolutâ igitur hâc materiâ, finem quando expirat & evanescit hæc substitutio, addam. Hæreditate enim per institutum semel aditâ statim extinguitur vulgaris substitutio, *l. 5. C. de impub. & al. substir.* adeò ut licet ei plures institutionũ gradus facti sint, omnes per primi hæredis aditionem expirant: Quoniam qui semel hæres est, nunquam hæres esse desinit: etiam quia per aditionem hæreditatis efficitur quis directò hæres & dominus, adeòque essent duo domini & directi hæredes in solidum, quod est impossibile de jure *l. 5. §. 12. ff. comm. vel cont.* Si tamen institutus impetrata fortè in integrum restitutione, abstinerit, vel repudiaverit hæreditatem semel aditam, reviviscit rursus substitutio & substitutus admittitur *l. 7. §. 10. ff. de minor.* adeò ut etiam ex sententia contra institutum ante restitutionem lata conveniri possit, *l. 44. ff. de re judic. Vid. Struv. Ex. 33. sh. 17. §. denique 4. &c.* Potuissent plura addi, sed hæc exercitii gratiâ sufficere visa.

COROLLARIA.

I.

- V**eniam ætatis impetrans, non habet amplius beneficium restitutionis.
- II. Substitutus in honore, succedit in onere.*
- III. Bona non dicuntur, nisi deducto ære alieno.*
- IV. Vin vi repellere licet.*
- V. Filius familias rectè tutor dari potest.*
- VI. Nimio infatuatus amore virginis equiparatur furioso & prodigo.*
- VII. Usucapio est justus acquirendi domini modus.*


Aures



A Urea dum primi floret tibi temporis ætas,
Utere: nam subito labitur illa pede,
Tunc etiam ingenii fructus, quos tempore veris
Sparfisti, lætâ mente manuque legis;
Nam præfens specimen, proprio quod Marte dedisti
Nobis, ingenii quod sit acumen, ait.
Gratulor his cœptis cordis penetrabilibus imis,
Adspiret studiis aura superna Tuis:
Maeste Tuo studio, nec Te deterreat unquam
Æstus, frigus iners, perpetuusve labor.
Tum plures fructus, tum præmia magna laborum;
Tumque ferēs studiū digna trophæa Tui.

*Pauca hæc in honorem Pereximii Damini
Auctoris adjecta sunt*

ab
Amico.



C Arbonum doctos hic KOHLER acervat acervos,
Queis is comburat falsa, probetque proba.
Est opus egregium multo sudore paratum,
Quod non carbones, sed sacra jura refert.
In quibus ostendit, justus quò jure sit hæres,
Quisq; loco alterius substitui valeat.
Gratulor ex animo mi KOHLER, laudo Tuoque
Conatus, pergas: sic bene jura scies.
Et Tibi gemmiferam tradent cum laude coronam
Musa, quâ cingent tempora docta Tibi.


C

Hoc

*Hoc erit acceptum Genitori, Matri, & Amicis,
Et dulcis patrie fama decusque Tua.
Hac precor ex niveo (mibi credas) corde, Deumque,
Ut votis addat, prosperiora rogo.*

Sic moris, honoris & amoris ergo
gratulabundus accinebat

JOH. THEODORUS NEUBERUS,
SS, Theol. Cultor.



HOc specimen doctum, quod Tu jam, KOHLER amande,
Edis, commendat Te studiumque Tuum.
Nam nobis monstrat, quis sit successor alius,
Quomodo, quinam hæres possit & institui.
Gratulor his studiis, Tibi prospera cuncta peropto,
Ut vivas patriæ corpore, mente Deo.

*Pauculis hisce applaudere voluit
S. M.*



Ad Nobilem & Pereximium Dominum Authorem.

Sic, KOHLERE, petis vulcri pede fervidus astra,
Sudoresque docet docta cathedra Tuos.
Gratulor ex animo, Dominum veneror que supremum,
Concedat studiis præmia larga Tuis.

Paucula hæc Nobilissimo Domino Authori,
Amico haud postremo, gratulabundus
adjecit

J. H. Hazfeld, LL. Stud.



So recht / wer siegen will / muß Schweiß zum Nachbar
haben/
Ein faules wünschen bringt nicht solche Früchte ein/
Bei Leib und Geist stets will mit nichts als Wohlust laben/
Wird auch im ruhen stets der Erden Nachbar seyn/
Auff solches Fleißes Stuffn muß man zun Sternen steigen/
Und unser Lob allda der Nachwelt stellen vor/
Der Fuß kan nimmer sich zum Ehren-Tempel neigen/
Bis daß die Jugend ihm eröffnet Schloß und Thor;
Wohl dann/ mein wehrter Freund/ so geht der Weg zun Sternen/
Wann man der flugen Welt gelehrte Pfänder streut;
Ich wünsche/ daß der Neid sich von ihm weit entferne;
Er lebe stets beglückt/ Er lebe stets erfreut.

Solches wolte seinem wehrteschätzten Freund
glückwünschend zufügen

H. P. Zaunschliffer / Phil. Stud.



Dum fugiunt alii Musarum rura supini,
Et somnum repetunt terque quaterque die.
Viscera dum suavi multis madefacta Lyxo;
Legum jura colis, pectora tincta gerens.
Inde rapis multis insignia præmia pugnae;
Quod nobis monstrat nunc satis hicce labor.
Quo pede cœpisti, persta: Sic itur ad astra,
Mox tibi Pierides præmia digna ferent.

Ac




(20)

At Deus omnipotens semper benedicere pergat,
Ingenuis studiis, propositisque Tuis;
Quò tandem lumen possis extare coruscum,
Ac Patriæ splendor: quod precor ex animo.

*Ita Pereximio Domino Authori, amico suo
multum amando, gratulari voluit
dehuit*

A. G. C. Phil. Stud.

F I N I S.




Harburg, Diss., 1698-1707

X 237 3079

W. M.







8. Pri. 51. num. 21.
L. N. D. N. J. C. 2.
1704, 5.
19
11

DISQUISITIO JURIDICA,
De
VULGARI SUBSTITUTIONE,

Quam exercitii gratiâ
Assistente DIVINI NUMINIS Auxilio
Sub UMBONE
Viri Excellentissimi, Celeberrimi, Consul-
tissimi Domini

OTTONIS PHILIPPI
ZAUNSCHLIFFERI,


Jcti, Antecessoris, & Universitatis hujus Syndici, Præceptoris atque Patroni sui, omni observantiæ cultu ad ultimum usque vitæ halitum, colendi,

In Jctorum Auditorio

Ad diem 10. Augusti Anno 1704.

Amico Dominorum Commilitonum examini subjicit

JOH. HERMANNUS KÖHLER,
HASSUS MARBURGENSIS,
AUTHOR & RESPONDENS.



MARBURGI CATTORVM
Typis JOHANNIS HENRICI STOCKII,

